



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. LII. De vigilantia & attentione, cum quâ viuendum, operandumque
nobis est, vt nos à peccatis liberemus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

De vigilantia, & attentione, cum qua vi-
uendum operandumq; nobis est, ut nos
à peccatis liberemus.

C A P. LII.

Aliud medium liberandi nos à pec-
catis in vitâ, quam agimus, in ope-
ribus, quæ exercemus, & in occupa-
tionibus, quas habemus, est, applicare
considerationem, attentionemq; ani-
mæ ad videndum, ac ponderandum,
quomodo viuamus, & quomodo ope-
remur. Si quis artifex delicatum, &
excellens opus faciat, ut si pictor ima-
ginem pingat, aut Phrygio vestem sa-
cram pingat acu, oportet eum, ut opus
probe, ac sine defectibus fiat, attende-
re ad id, quod agit, illudque benè in-
tueri, & considerare. Sic homo Chri-
stianus, ut vita, quam ducit, bona, nec
in eâ peccata mortalia, utque opera,
quæ exercet, iusta, cum honesto fine, &
à peccatis munda sint, valdè necesse
habet, ad id, quod facit, dicit, & cogi-
tat, diligenter attendere, illudque be-

Cc

nè

nè dispicere, & considerare. Causa huius necessitatis est, quia homo multas habet passiones, malasque inclinationes, quæ ipsum mouent ad facienda mala opera, & ad bona malè facienda, ex fine amoris proprii: Quia item opera, & exercitia humanæ vitæ, multas in se difficultates, impedimenta que ad bonum, & multas occasiones ad malum, atque insuper continuas Dæmonum oppugnationes habent. Quo fit, vt homo non benè videns, & considerans, quid agat, in multa graua peccata incidat, in quædam per culpabilem ignorantiam, in alia per fragilitatem, in alia per inaduertentiam ex negligentia, & incuria profectam; & sic vt se ab his peccatis liberet, ea non faciendo, vel corrigendo, necessaria ipsi est hæc, quam diximus, attentio, & consideratio. Estque hæc attentio in eo sita, vt homo examinet res, quas facit, & dicit, an sint conformes rationi, ac legi Dei, quo fine ad eas faciendas moueatur, an in illis quærat Dei voluntatem, ac beneplacitum, an suum
pro-

pro-
& fa-
gul-
con-
uan-
mal-
mul-
duc-
& fo-
Scri-
quin-
de q-
tuam
dica-
Dom-
teip-
erga
ram
solic-
gent-
nan-
bon-
tion-
omn-
præ-

proprium gustum, & satisfactionem; & facto hoc examine, omittat cum singulari conatu opera, quæ diuinæ legi contraria sunt, & eligat ea, quæ in Evangelio approbantur, & mutet finem malum in bonum. Sic liberabit se à multis peccatis, vitamq; Deo dignam ducet. Hanc attentionem, diligentiam, & sollicitudinem Deus à nobis in sacrâ Scripturâ sæpè, multisque titulis requirit. Hæc est illa sancta sollicitudo, de quâ in lege dicit: *a Custodi animam tuam sollicitè.* Et per Michæam: *b Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: utiq; ut facias de teipso iudicium, & diligas misericordiam erga tuum proximum, & sollicitus coram Deo ambules.* Viuere, & operari sollicitè, est, hominem uti magnâ diligentiam, & attentione, videndo, examinandoque res, quas facit, ut bonæ sint, bonoque fine fiant, & videre obligationes, quas suus ei status iniungit, ut omnibus ijs satisfaciat, nullâ ipsarum prætermisâ. Hæc attentio, & confi-

C c 2

dera-

a Deut. 4.9. b Mich. 6.8.

deratio est illa sapientia, ac prudentia diuina, quâ nos Deus iubet vitam nostram gubernare; de quâ Sapiens ait: *a Audi fili mi bonam doctrinam, & esto sapiens; & cum hac sapientiâ dirige in cæli viam cor tuum;* etiam atque etiam vide, quid facias, nec te à cupiditatibus tuis abripi sine, sed in omni re legem, & voluntatem Dei sequere. Et Dauid de hac eâdem sapientiâ, quam quia de rebus particularibus est, *iudicium* vocat, ait: *b Honor Regis iudicium diligit.* Quasi diceret: Dei dignitas, atque Maiestas vult sibi seruire, & honorari cum discretione, ac prudentiâ, quæ diligenter, & sollicitè videt, quid faciat, vt benè fiat, quemadmodum talis Domini magnitudo requirit. Hæc attentio, & examen illius, quod facimus, est illa visio, & vigilantia, quam Christus à nobis exigit, iubens nos vigilare. *c* Apud S. Marcum ait: *videte, vigilate, & orate.* *d* Apud S. Matthæum: *Vigilate. quia nescitis quâ*

horâ

a Prou. 23. 19. *b* Ps. 98. 4. *c* Marc. 13. 33. *d* Matth. 24. 42.

horâ Dominus venturus sit. a Et apud S.
Lucam: videte, & caute. Hoc videre,
& vigilare, est res cum consideratione,
attentioneque facere, nequa res mala,
nec res bona malè fiat, nec omittatur
res, quæ sit obligatoria. Et est notan-
dum, vt hæc attentio, & consideratio
maiolem efficaciam habeat, non so-
lùm oportere nos applicare attentio-
nem ad id, quod facimus, sed etiam
eandem ad Deum eleuare, intuendo,
considerandoque eum præsentem, &
favorem ipsius implorando. Ad ope-
randum enim benè in ordine ad salu-
tem, non sufficit recta ratio ad eligen-
dum id, quod bonum est, & voluntas
ad illud, amandum, sed opus est effi-
caci Dei favore, & auxilio ad idem,
executioni mandandum, & cum firmâ
determinatione volendum. Ideoque
per considerationem eius, quod faci-
mus, debemus cor nostrum eleuare ad
Deum, & seriò hoc efficax auxilium
ad benè operandum, eiusque sanctissi-
mam voluntatem integrè exequendâ,

Cc 3

ab

a Luc.

ab ipso petere, Et ad hoc nobis indicandum idem Dominus, qui nos iubet vigilare, simul orare nos iubet, *a* Per S. Matthæum, *vigilate*, inquit, & *orate*. *b* Per S. Lucam: *Vigilate*, omni tempore orantes. *c* Per S. Marcum: *Videte, vigilate, & orate*. Volens per hoc docere nos, cum consideratione, & attentione eius, quod facimus, coniungendam nobis esse orationem, quâ lumen à Deo impetremus ad videndum, quid debeamus facere, & vires ad illud exequendum. Ex hoc, quod videlicet opera cum consideratione fiant, aliud ingens bonum consequitur, nimirum quod fiant cum spiritu, & deuotione interiore, id est, cum promptâ quadam, & efficaci Deo per illa placendi voluntate. Hic interior spiritus est, qui dat valorem, ac pulchritudinem mirabilem bonis operibus, quodque Deus præcipue in illis respicit, & æstimat; Ideoq; toties eum requirit per S. Paulum Apostolum, dicentem

a *Matth. 26. 41.* *b* *Luc. 21. 36.*

c *Marc. 13.*

centem : a Spiritu ambulate , & non
secundum desideria carnis. Ac rursus :
Si spiritu vivimus , spiritu & ambulemus.
Hoc est : si spiritualem gratiæ vitam
accepimus , operemur consentaneè
huic vitæ , sequentes non appetitum
naturalem , nec inclinationes inferio-
ris partis animæ , sed motionem spiri-
tus , illuminati lumine viuæ Fidei , &
gratiæ virtute sanati. Nihil magnum à
nobis exigitur , dum iubemur , vt libe-
remus nos à peccatis , & negotium sa-
lutis ritè administremus , diligenter
applicare attentionem ad res , quas fa-
cimur , siquidem ad rem perexigui va-
loris , & utilitatis , magnam attentio-
nem applicamus. Qui in fodinâ ali-
quâ laborant , vt aurum eruant , per-
quàm attenti sunt , quid faciant , & ad
omnem ictum diligenter vident , an
quod effodiunt , aurum sit , an terra , an
aliud metallum. Qui arundine piscan-
tur , magnâ cum diligentia superna-
tans indicium attendunt , vt cogno-
scant , quando piscis escâ admordeat ,

Cc 4 eum-

a Ad Gal. 5. 16. Ibid. v. 25.

eumque extrahant. Qui auibus venantur, oculos in altum tollunt, aues attentè suspiciunt, diuq; suspensi cum voluptate spectant, quomodo confligant, & altera alteram prædetur. Si in huiusmodi rebus, quæ tam parui momenti sunt, homines magnam attentionem, & vigilantiam collocant, quam iustum, ac rationabile est. Christiani, qui in fodinâ bonorum operum laborat, vt purum aurum amoris Dei effodiat, magnam in ijs inspiciendis, considerandisq; attentionem ponere, vt bona sint, & benè fiant, ipseque per ea Dei amorem exercent, & lucretur; illum item, qui venatur, piscaturque virtutes, ac dona diuina, quibus regnû cælorum acquiritur, & promeretur, adhibere magnam diligentiam, vigilantiamque in videndo, & examinando, quid bonum, quid malum sit, vt respuat hoc, & illud exercent? cum præsertim Deus tanto illos, qui cum hac solitudine viuunt, fauore prosequatur, vt eis perfacilem, ac suauem hunc laborem reddat, quodque cum diffi-

cul-

cultate, & fastidio inceperunt, magnâ cum suauitate, & voluptate faciant; quemadmodum obseruat Ecclesiasticus, dicens: *a Fili, accede ad diuinam sapientiã, qui est experimentalis amor Dei, & pro acquirendâ eâ labora, quasi is, qui terram arat, & seminat; vt inde fructus colligat: & quamuis non statim fructuum illius multitudinem, ac suauitatem sentias, perseuera in laborando cum spe, & patientiã; in opere enim ipsius exiguum laborabis, & valdè cito edes de suauissimis illius fructibus, hic gratiæ, ac postea æternæ gloriæ.*

a Ecclic. 6. 2.

Ostenditur, quantum contra peccata remedium sit attendenda mortis consideratio.

C A P. LIII.

Mltis de causis consideratio mortis ad tollenda peccata plurimum refert, atque conducit. Vna est, quia ex amore inordinato, quem homo erga seipsum, omnesque res temporales

Cc 5

ho-